DE INEFFABILI TRINITATIS MYSTERIO ORATIO

Habita in Sacello Pontificio

AD SANCTISSIMUM D. N.

BENEDICTUM XIV.

PONT. MAX.

A D. DOMINICO FERRARI

EX DUCIBUS PARABITÆ

Collegii Clementini Convictore.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA

ROMÆ MDCCLVI.

Ex Typographia Chracas, prope S. Marcum in via Curſus.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google

Sanctiſſimo Domino Noſtro

BENEDICTO XIV.

PONTIFICI MAXIMO

DOMINICUS FERRARI

FELICITATEM.


T*ANTA eſt humanitas tua*, BEATISSIME PATER, *& tot, ac tam manifeſta ſingularis tui erga* Collegium Clementinum *ſtudii, & benignitatis argumenta, ut licet me non parum commoveat, ac retrahat dignitatis, quam obtines, amplitudo, Orationem tamen hanc de Ineffabili TRINITATIS Myſterio, ut mos eſt, oblaturus ad te fidenter accedam. Nam, ut ea prætercam, quæ in omnium noſtrum decus a Te perhumaniter jam acta eſſe accepi, ut Convictores omnes Tu ipſe tuis manibus Sacra Comunione reficeres, & ipſius Collegii curam inter tot Imperii, & Eccleſiarum ſollicitudines ſuſcipere non dubitaveris, quoties ego ipſe ſex annorum ſpatio, quibus hic immoror, tuæ erga nos benevolentiæ, be-*

Digitized by Google

neſicentiaque teſtis non extiti? Erat ad comune totius Collegii commodum portio quædam publicæ viæ, quæ Tiberim per angiportum ducebat, neceſſaria; Idem fuit petere, atque obtinere. Ædibus de novo conſtructis deerat aquæ copia; Ea quoque quam facillime impetrata. Præterea nonne ſummæ benignitatis indicium quotannis recurrente noſtræ Congregationis Solemnitate huc te ſemper conferre, & nos præſentia, aſpectuque tuo recreare? Nonne vere regalis animi Te ipſum in iis, quæ neceſſaria eſſent, iterum atque iterum exhibere? Nonne denique peramantiſſimi ipſum Pronepotem tuum non alibi, quum hic inſtituendum, educandumque tradere? Quem ſi deinde poſt tres hyemes eduxiſti non alia de cauſa id factum eſt, niſi ut domeſticarum virtutum exempla, & propius poſſet, & frequentius intueri. Sed quis valeat tua omnia erga nos merita recenſere, & innumera, quæ in nos beneficia contuliſti? Illud unum ſufficiat addidiſſe, utpote recens, quodque ad cætera velut cumulus acceſſit, quod nemine præter ſummam clementiam tuam ſuadente, hortante nemine, maximo cum nominis, & famæ ipſius incremento Collegium Clementinum *nuper elegeris, in quod ii nobiles Juvenes transferantur, quos antea in Collegio Ginnaſio educari oportebat. Quæ omnia cum ante oculos mihi ſemper verſentur, atque ea diligentius intuear, vereri nequeo,* Beatissime Pater, *quin ea, qua ſoles humanitate ſis me hodie excepturus. Orationem igitur, cujus cauſa ad Te venio, quæcunque ea ſit, pedibus tuis advolutus Sanctitati Tuæ fidens jam offero Te etiam, atque etiam rogans, ut eundem ſemper in nos animum ſerves, & me ſimul, & totum Collegium, cujus in Te uno decus, & ſpes omnis ſita eſt, Apoſtolica Benedictione digneris.*

ORA-

Digitized by Google



ORATIO.

CUM omnia ad Dei gloriam, BEATISSIME PATER, utilitatemque Eccleſiæ referri a Chriſtifidelibus debeant, atque componi, bene, Sapienterque inſtitutum eſt, ut cuncta Divina Myſteria non modo ab Eccleſia unicuique proponerentur credenda, ſed quotannis etiam ſolemni quadam ratione celebrarentur. Nam cum illa ſæpius mente revolvimus, ac veneramur, ſæpius etiam & ſapientem, & providum, & miſericordem, & juſtum Deum eſſe in-

Digitized by Google

telligimus, & profitemur, & innumera fere illius attributa cognoſcimus. Ex quo fit, ut ipſius gloria augeatur, & credentium fides magis magiſque in dies ſingulos confirmetur. Verum, ni mea me fallit opinio, tot inter, ac tam mira myſteria nullum adeſſe judico, quod tantum gloriæ afferat Deo, tantum utilitatis Eccleſiæ, quam illud, quod hodierna die præcipue colimus, in uno nempe Deo Trinitatis confeſſio. Quod, quam evidentiſſime pateat, breviter quæſo mecum cognoſcite.

Nemini dubium profecto eſſe poteſt, cum majora in Deo decora, atque ornamenta mortalium oculis eluceſcunt, majorem etiam Deo gloriam apud homines comparari, & tanto ampliorem, illuſtrioremque eſſe laudem, quanto ampliora ſunt, & illuſtriora laudis ipſius argumenta; ita ut idem in Deo reciproce eveniat, quod in Beatis Spiritibus certum eſt evenire, quorum tanto major, ac perfectior felicitas, quanto plura in immenſo illo divinitatis lumine contemplantur. Porro quodnam majus ornamentum, ac decus in Deo

repe-

Digitized by Google

reperiri unquam potuit? quæ amplior, ac illuſtrior laus, quam unitatem ſimul cum TRINITATE conjungere? Hoc illud arcanum eſt, quod cætera omnia ſublimitate antecellit, quod humani ingenii omnino vim ſuperat, quodque, ut inquit Bernardus, (*a*) nec ab Angelis, nec ab Hominibus niſi Spiritu Sancto revelante cognoſcitur. Itaque Deum unum eſſe, & ſimpliciſſimum, & perfectiſſimum, & æternum Ethnici quoque ipſi, & cognoverunt, & faſſi ſunt; at TRINUM eſſe nunquam ne ſuſpicari quidem potuerunt, imo ipſa Hebræorum gens ignoravit. Si a dignitate igitur, & ſublimitate Myſteriorum, quæ ab hominibus recoluntur, Dei amplitudo metienda eſt, quis jam nunc Deum Unum, & TRINUM confiteri præ cæteris laudem afferre Deo non affirmabit, præſertim ſi in mentem revocet, a quo illud Eccleſia didicerit? Nam ſi tanti ea fiunt, quæ vel per Angelos, vel per ora Prophetarum enunciata ſunt, quanti hujus Myſterii dignitas non æſtimanda, cum ab ipſo æterni Dei
Filio

(a) *Ita S. Bernardus in Homil.*

Digitized by Google

Filio fuerit revelatum? Inquit enim apud Joannem: (*a*) Ego & Pater unum ſumus; & alio loco: (*b*) Ego in Patre, & Pater in me eſt; Et apertiſſime denique, ut alia omittam apud Matthæum: (*c*) Euntes docete omnes Gentes Baptizantes eos in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Qua in re operæ prætium erit animadvertere hunc eundem Dei Filium, qui TRINITATIS arcanum primus credendum propoſuit, de Cœlo in Terras non alia de cauſſa, ut ſæpius ipſe teſtatur, deſcendiſſe, niſi ut Deus per ipſum glorificaretur; adeoque Unum, & Trinum ab Hominibus agnoſci, atque adorari Deo maximæ eſſe laudi oportere. Quanquam quid dubito? Cœlum cum Iſaia aſcendamus, & ibi Seraphim Dei præconia concinentes audiamus. Quid quæſo potiſſimum prædicant? Quodnam perpetuum illorum carmen? Nunquid illius omnipotentiam, aut ſapientiam, aut miſericordiam extollunt? Nunquid illum æternum, infinitum, immenſum affirmant? Vulgaria nimis hæc ſunt, & omnium maxima

xima

(a) *Joan. c.* 10. *v.* 30. (b) *Ibidem v.* 38. (c) *cap.* 28. *v.* 19.

xima Deo debetur laus. Quid igitur canunt, alterniſque modulis repetunt? Nihil aliud, ut ipſe Iſaias refert (*a*) quam Myſteriorum hæc plena verba: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth, Deum ſcilicet Unum, & Trinum profitentur, (*b*) atque hoc de illo dum prædicant ſummam procul dubio laudem ſe illi tribuere arbitrantur, qua ſi major aliqua adeſſet, illam profecto, non hanc ſibi concinendam aſſumerent,

At ſi Deo id præ cæteris glorioſum; non minus etiam præ cæteris Eccleſiæ eſſe utile demonſtratur. Et quin ad alia argumenta recurramus, quomodo hoc ab Eccleſia ſublato cætera quæque Myſteria poſſent exiſtere? Quomodo Catholica Religio floreret? quomodo ipſa vigeret Eccleſia? Ut ſine fundamentis ædificia ſtare non poſſunt, ſic illa omnia ſimul corruerent, hoc uno ſcilicet deficiente quod, Chriſtianæ fidei caput eſt, & omnium Myſteriorum fundamentum. Præterea quis neſciat Reli-

(a) *cap. 6. v. 3.* (b) *Ita docet S. Ambroſ. lib. 3. de Spiritu Sancto cap. 23. Nazianzen. Orat. de Paſch. Damaſ. fuſe in Triſagio: S. Hyeron. S. Cyrill. & alii paſſim.*

Digitized by Google

Religioni noſtræ ea maxime eſſe utilia, quæ magis fidem credentium, & promovent, & exercent? Per hanc enim & alitur, & creſcit, & per univerſum orbem Eccleſia propagatur. Quid autem unquam aut eſſe, aut fingi poteſt, in quo mortalium fides exerceatur magis, & magis eluceat, quam TRINITATEM confitendo, id nempe, quod non modo nulla poteſt ratione convinci, ſed præ cæteris Myſteriis ita arduum inſuper, ita reconditum, & tanta caligine circumfuſum, ut omnem mentis aciem longiſſime ſupergrediatur, & fugiat? Sed his etiam omiſſis: Vultis ne quam uberrimos Eccleſiæ fructus pariat TRINITATIS confeſſio, miraculis comprobatum videre? Ad impiam Euthichetis hæreſim, quæ per Orientem omnia miſera labe inficiens jam late diffunditur, parumper oculos primum convertite. Quid nefarios illius impetus valuit retardare? Quid illam medio in curſu frangere, & funeſtiſſimas illius faces extinguere? Nonne harum tantummodo vocum, quas Angeli puerum quemdam in aera raptum docue-
rant

Digitized by Google

rant (*a*) repetita prolatio? Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus immortalis miſerere nobis; Quæ TRINITATIS confeſſio non modo hæreſim oppugnare, ſed & inſolitos terræ motus, quibus urbs Conſtantinopolis quatiebatur brevi potuit cohibere. Nunc Concilium ſub Victore ſecundo ad Simoniam, quæ graſſabatur, extirpandam, Lugduni coactum intuemini. Oh inaudita TRINITATIS vis! Oh mira iſtius utilitas! Archiepiſcopo hoc crimine inſimulato nil aliud ab Hidelbrando proponitur, quam hæc verba proferre (*b*): Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. Quod cum fruſtra tentaſſet, & ex parte quidem proferret, nunquam tamen Spiritum Sanctum potuit pronunciare, niſi poſtquam erroris pœnitens ſe Simoniacum confeſſus eſt. Quod factum adeo cæteros perterruit, ut Epiſcopi quadraginta quinque ſtatim ſe reos eſſe confeſſi ſint, & abſque ulla accuſatione ſuis honoribus ceſſerint.

Quæ cum ita ſint cum TRINITATEM in Unita-

(a) *Ita Damaſ. tract. de Triſagio, & Niceph. lib.* 14. *cap.* 46.
(b) *Ita ex Nicolao Arag., Sigonio, & aliis refert Bar. Anno Dom.* 1055.

Digitized by Google

Unitate credere, ac venerari tantum Deo. afferat gloriæ, tantū utilitatis Eccleſiæ, nos quoque hodierna die Unū, & Trinum eſſe & fateamur, & adoremus: Et nunc cum Eccleſia Catholica: Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto repetamus: nunc cum Angelis per aerem excurrentibus Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus Immortalis uſque eo iteremus, donec tandem ante Thronum Dei ipſum facie ad faciem videntes Sanctus, Sanctus, Sanctus æternum cum Seraphim concinamus.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

Digitized by Google